

natione agant, ordine naturæ tamen de Christō prius agendum, *prædestinati enim sumus in Christō*, Ephes. I, 4. Distinguendum inter decretum de incarnatione Christi, & executionem hujus decreti. Prioris ratione electi fuimus ab æternō, incarnationis Christi autem in tempore est facta.

I. Christus.

1. Distinguendum inter nomina *abstracta*, & *concreta* quæ in hoc articulo usurpantur.
2. *Abstracta* vel dicuntur *abstracta naturæ*, vel *abstracta personæ*. Priora sunt, quæ alterutram naturam denotant sine connotatione hypostaseos, ut si nomino humanitatem, divinitatem; posteriora sunt illa vocabula, quæ formaliter alterutram naturam exprimunt, sed cum connotatione hypostaseos. Sic ejusmodi nomen est *DEus-Homo*.
3. Hujus generis nomina alia sunt *incomplexa*, ut *DEus homo* &c. alia *complexa*, ut *Deitas incarnata*, *Humanitas adsumta*.
4. *Concreta vocabula* vel sunt *concreta naturarum*, vel *concreta personæ*. Priora sunt nil aliud quam abstracta personæ, quando dico *DEus*, *homo*; Posteriora sunt vocabula, quæ personam Christi in duabus naturis consistentem indicant.
5. Hæc vocabula vel immediate personam ab utrâque naturâ denominant, ut si dico *Ιεράθρωπός*, vel *mediatè* denominant personam *ab attributo communi*, ut si vocatur *Immanuel*, denominatur Christus secundum utramque naturam. Vel desumitur denominatio *ab officio communi*, ut nomen *JESU*, quod Salvatorem significat. Inter hæc nomina, quæ dicuntur *concreta personæ*, excellit *nomen Christi*, denotat hoc personam constantem è naturâ, quæ ungit & constantem è naturâ, quæ uncta est.
6. Distinguendum inter Messiam seu unctum *Typicum*, & *Antitypicum*. Usurparunt hoc vocabulum in Veteri Testamento, præprimis sacerdotes & reges. Dicebantur uncti seu Christi Domini, Es. XLV, 1. Nos posteriorem hoc loco spectamus.
7. Unctus est non oleo *externo*, sed *internō*, Spiritu Sancto, Ps. XLV, 8. Dan. IX, 25. 26.
8. Alia est denominatio, quando hæc persona vocatur *Filius DEi* vel *λόγος*, alia, quando dicitur *Christus*. In re quidem una persona
Pp sunt,